AD QVODLIBITARIAM QVAESTIO MEDICA, MATVTINIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXX. DECEMBRIS, DISCEPTATORE D. IOHANNE DVRETO, REGIS MEDICO, ET MEDICINÆ PROFESSORE.

An in febrium paroxysmis vena secanda?

Animato omni vitam qui fouet ac tuetur, vnus est idémque elementarius ὁ συγγεγονὸς calor: qui labefactat, præter ignescentem illum, alius quidam accenditur in nobis, putredinis effector, vermium nequaquàm procreatricis, nec aliàs κακοήθους, quàm si ipsa illum effectorem suum, ab eo deduxerit, qui naturam nostræ aduersam habuerit, planéque contrariam.

Hvivsmodi calore prædita sunt, in stirpium & animantium genere haud pauca, & subterranea tum ὀρυκτὰ tum μεταλλευτὰ quædam, suis quæquæ κατ' εἶδος ἀλεξιτηρίοις, quorum sibi potentiam medicina subiecit, opposita. Sed illa omnia, nocendi inimica vi, aër tùm maximè superat, cùm àcælo, quod vitæ plerúmque malefacere verum est, quæ ἀνεπιτήδεια hausit, ea inuexit in hominum genus, cordíque nobilissimo visceri, cuius in sede velut præcipuâ, naturalis facultas locata est, inseruit.

Porrò isti præter naturam calori, quacunque tandem ex causa excitetur, nostro omne in corpore corpus subiicitur. Sua námque, exempli causâ, non modò humorum, sed & solidarum quóque partium, spirituúmque, nec vlla febris expers, pestis est: frigidis atque humidis nunquam expugnata, nec vnquam purgantibus medicamentis fœliciter appetita. Hanc omnis antiquitas, bubone comitatam vidit. Variolæ autem & Rubeolæ, non secùs ac Purpura, λοιμικαὶ sunt, neque aliunde quàm ab aëre, ortum ducunt: vnde adeò fit, vt rite διαφορητικοῖς curatione adhibita dissipentur.

Sed enim putredo cùm omnis, tùm illa mansuetior, sanguinem, veris modo & aëris, calidum atque humidum, inque mulieribus calidiorem quàm viris, reliquis magis humoribus & maiore periculo occupat. Ac reliquorum quidem corruptio, minoribus maioribúsue concepta vasis, rigores sanè periodicos, criticosque, tùm demum edit, cùm foras inde, in habitum corporis promota, exit.

Pvtredinis fomes, purgationibus educitur: quas quidem continuarum febrium, non item intermittentium, primis diebus adhibere fas sit. Idem venæ sectio præstat: cuius etsi proprium verè censetur, circumfusum liquorem omnem, intrò retrahere in corpus, non tamen iccirco est à curatione vllius τῶν κακοήθων ableganda, dummodo ea in malleolo, si partibus infra diaphragma positis; in brachio autem, si ipso diaphragmate superiùs, inusta labes fuerit, κατ' ἴξιν instituatur. Sed ea τῆς παλινδρομῆς ratio, præter infirmitatis illam quæ nimios ardores consequitur, quæque continuarum exacutionibus communis est, in ipsis profectò intermittentium accessionibus, magnoperè pertimescenda videtur, modísque omnibus euitanda.

Ergo non in febrium paroxysmis vena secanda.

PROPONEBAT GVILLELMVS LESCAILLON LOTARINGVS CLAROMONTANVS, ANNO DOMINI 1599.

Domini Doctores Disputaturi.

M. Petrus Paumier.	*M. Iacobus d'Amboyse Med. Regius.*	*M. Ph. Arduyn de S. Jacques.*
M. Petrus Ponson.	*M. Iacobus Cousinot.*	*M. Marcus Myron Med. Reg.*
M. Anthonius Quiquebœuf.	*M. Petrus Seguin Prof. Regius.*	*M. Petrus Laffilé Med. Reg.*